

in Arabia sic nuncupati sunt, procul dubio alleverandam est eos à Sarraca urbe ejusdem regionis denominari, ut D. Covar. & sequacibus hujus posterioris sententiae placet. Quod si sermo sit de Mahometanis, quibus Mahometus Saracenorum nomen imposuit, prior sententia magis arredit, secundum notata supra, num. 5. quemadmodum enim nomen hoc aliud significare cœpit, ita originem suam mutavit, cum ad inpositum foret Mahometanis, ut sese à Sara progenitos jaçarent per orbem, ac terra promilla à Deo possessores se prædicarent, dum Imperatoris, aliorumque Principum provincias violenter usurparent. Nec si ab illis quereretur unde nomen Saracenorum sortiti fuissent à Sarraca urbe Arabia sic dici responderent, sed à Sara sua progenitrix, qua se maximè nobilitabant. Ex quibus satis tueri poterit, etymologia verbi Saracenus, quæ traditur in d. l. tit. 2. 5. part. 7. modò ea accipiatur non de nativa, & propria verbi origine, sed de subrogata, & accomodatitia, quæ ab eisdem Saracenis ad sui commendationem circumferebatur.

Ibi: His addere libert Maranos, & Maranitas.

- 14 Mara urbs Arabia Felicis fuit, Ptolom. lib. 8. Geograph. Abrah. Ortel. verb. Mara, Nebrisensis codex verbo, ubi quod Metropolis erat, à qua forte Arabes Marani vocabantur. Maranus pro apostola reperitur apud Calepinum, Marranus Hispanicus idem est, quod excommunicatus, à verbo Syriaco Maranatha, Marian. Histor. Hispan. tom. I. lib. 6. cap. 7. ad fin.
- 15 Maranitarum meminit Abrah. Ortel. verb. Maranite, quos in Arabia Felici versus recessum sinus Persici constituit Strab. lib. 16. Fuit quoque in eadem regione oppidum, quod Marane dicebatur, juxta Maris Rubri littora, ut ex Plinio tradit Ortel. unde Maranitarum nomen originem trahere verosimiliter conjectari potest.
- 16 Si quid aliud de Saracenorum rebus ac nomine indagare placuerit, præter jam laudatos consulendi sunt Cœl. Aug. Curion. Histor. Saracen. lib. 3. Simanc. in Enchirid. tit. 17. & 18. Pineda in Monarch. lib. 2. cap. 3. §. 1. Joan. Bohem. lib. 2. de morib. gent. Mathiol. in Diuers. lib. 1. cap. 65. Ludovic. Partit. de Arabia.

#### S U M M A R I U M .

- 1 Cretionum observatio in acquirenda hereditate abit in desuetudinem.
- 2 Institutio heredis cum cretione hodie sustinetur, & rejectis solemnibus cretionum hereditas posset adiri.
- 3 De cretionis formulis, remissione.
- 4 Cretio quondam ad extraneos heredes, duntaxat spectabat.
- 5 Qui eloquium non poterant, ut munus, & infans, inutiliter cum cretione instituebantur.
- 6 Verba cretionis coram testibus proferebantur, & certio est inter legis actiones.
- 7 De cretionis continua, & vulgaris discriminione, & num. 9.
- 8 Cernere est quasi decernere, ex D. Isidoro.
- 9 Verbum Cretio, multifariam accipitur, maxime in Jure pro acquisitione hereditatis.
- 10 Cernere, pro Adire, sumitur frequenter.

- 13 Sumitur istud pro Constituire.
- 14 De alia significacione verbi Cerno.
- 15 Cerno derivatur à Cero.
- 16 Jura quedam ad certionem non pertinere ostenduntur.
- 17 Gratiani error notatur in Decreto.
- 18 Cernere, pro Cedere, nonnunquam usurpatur.

De cretione quæ in institutionibus, & actionibus hæreditatum quondam solemniter adhibebatur.

#### C A P U T X .

Crupulosa cretionum observatio, quæ in additione hæreditatum adhiberi solebat, ab usu redere iusta est, l. Cretionum 17. C. de jur. delib. l. 1. C. Theodos. de matern. bon. Cujac. in parat. ad tit. ff. de acquir. hered. Donell. comment. lib. 7. cap. 18. Petr. Gregor. Syntagma. Jur. lib. 46. cap. 2. num. 7. Rævard. de authorit. prudent. cap. 8. Borcholt. in 8. extraneis, num. 5. Institut. de hered. qualit. Lexic. Calvin. verb. Cretio. Arnold. Vin. in §. Item extraneus, num. 2. Institut. de hered. qualit.

Est tamè animadvertisendum cum Donello ubi supra, cretionem non esse sublatam, sed ejus duntaxat solemnitates; unde si quis hodie hæres cum cretione juxta formam ab Ulpiano traditam institueretur, sustineretur dispositio, possetque ille aut additione nuda, aut gestione pro herede sibi querere hæreditatem, quod olim instituto per cretionem non licet, sed solemnibus, præcipuisque verbis uti tenebatur. Pichard. in §. Item extraneus, num. 3. Institut. de hered. qualit. Arnold. Vin. ibidem, num. 4. ubi omnia præmissa probat. Rursus si absque cretione institutio fieret, posset nunc cum cretione hæres adire. Donell. sup. nam cretio nihil fuit aliud, nisi aditio solemnis, ut præter Donell. & Vinium tenent Osuald. ad Donellum d. cap. 7. lit. 1. Bud. in annotat. prior. ad Pandect. in l. 2. ff. de orig. jur. Olan. in Paralipon. lib. 2. cap. 4. num. 7. Petr. Gregor. sup. num. 6. D. Melch. de Valent. Illustr. jur. tractat. lib. 3. tract. 2. part. 1. num. 43. Itm cretio quondam omnem modum acquirendam hereditatis complectebatur. Cicero ad Attic. lib. 6. ibi: Nunc credo eo magis, quod debet etiam fratri Appii amorem erga me cum reliqua hæreditate crevisse. Liv. lib. 24. sic ait: Cum clavis Andromedorus insula portis hereditatem regni creverit. Idem lib. 29. inquit: Vivo, & spirante me hæreditatem meam ambo & spe, & cupiditate improba crevisti. Auth. incertus Panegyrici Maximiano, & Constantino Imperatoribus dicti, ibi: Siquidem ipsum Imperium hoc fore pulchrini judicabis, si id non hæreditarium ex successione crevisses, sed virtutibus tuis debitum à summo Imperatore meruisse. Ex quibus sic teuer Rævard. d. cap. 8. in fin. & sequitur Osuald. sup. lit. 1. quamquam Cujac. ubi sup. inter cretionem, & additionem dictrinem constitutat, inter quas illa solam dignoscatur, ut cretio solemnitates postularet, quæ in additione non desiderabantur: iudea enim testatio, aperta tamen ad acquirendam hæritatem satis erat, quæ per cretionem reliqua non erat. Donell. & Vin. sup. Vide infra, n. 12.

Ibi:

Ibi: Quæ vero fuerit cretionum hac solemnitas.

Ulpiano duce de cretionum formulis, ac solemnitatibus dissentunt Cujac. Donell. ac ceteri laudati sup. num. 1. Ant. Gover. lib. 1. variar. lection. cap. 25. Ant. Concius lib. 1. disp. cap. 12. Briffon. de verb. signif. verb. Cernere. Prætei. eod. tract. verb. Decernere. Olan. sup. Pichard. ubi proximè, & in §. Extraneis, num. 3. Institut. de hered. qualit. Retes in opuscul. lib. 5. cap. 3. num. 6. & lib. 7. cap. 5. num. 13. Sed cavendum nobis est à Glossa in d. l. Cretionum, quæ nimis hallucinatur, dum de cretione agit, ut monet ibi Gothofred.

Ibi: Cretio, inquit Ulpianus, est.

4 Primò circa Ulpiani verba observandum est, cretionem vocari tempus id, quod prescribatur testator, ut hæres decerneret, num sibi expediret hæreditatem amplecti, necne: verum etiam idem verbum ab Interpretibus usurpatum pro actu ipso adeundi solemniter hæreditatem, quo sensu hucusque à nobis acceptum est, & infra accipietur.

Ibi: Quod datur instituto heredi ad deliberandum.

Loquitur procul dubio Consulus de extraneo hærede; nam postquam in fragment. tit. 2. de suis & necessariis hæreditibus sermonem perfecerit, ad extraneos deveniens, tunc cretionis meminit in §. Extraneos hæres, & ita cum eo sentiunt communiter omnes, quod deditus supra. Sed dubitari poterit, an sui hæredes cum cretione quondam potuerint institui? Et affirmativa sententia suaderi viderit ex eo quod forma ab Ulpiano tradita recte in sui hæreditibus observaretur: aut enim cretio vulgaris erat, & tunc illa conditio, Si intra tot dies creverit, esset potestativa, ut per se notum est, cum tempus non laberetur, nisi hæres posset hæreditatem cernere, seu adire: hæres autem suis sub tali conditione jure instituerat, l. suis quoque 4. ff. de heredib. instit. §. Qui sub conditione, ff. Si quis omis. causa testam. ubi ratio redditur, quia ejusmodi conditio pro pura haberi debet. Idem dicendum est de continua cretione, quia testator ex hæredem facit institutum, ut expressum inquit Ulpianus, si infra terminum definitum non creverit: omnis vero hæres suis permittebatur etiam sub casuali conditione institui modo in ejus defectum fore legitimè exhereditatus, l. Filius à pare 28. ff. de liber. & posthum. l. Si pater 4. C. de Institut. & substitut. Quibus perennis nil verbat, ut filius in potestate per cretionem quamlibet institueretur. Asseverandum tamen est ad mentem Ulpiani, ac ejus interpretum suis hæredes per cretionem instituere moribus non fore receptum, nec verba cretionis eis poterant adaptari, qui hæreditatem non cernerant, seu adibant, sed per immixtionem, & dominii continuationem antecessoribus succedebant: unde suis existentibus hæreditibus hæreditas non dicebatur, l. In suis 11. ff. de liber. & posthum. l. In suis 14. ff. de suis & legitim. hered. Ex quibus verba dispositionis non conveniebant, nec ipsa dispositio potuit comprehendere, argumento legi 4. §. Toties, ff. de damno infect. Præterea in

institutione hujusmodi nedum interveniebat conditio, sed etiam tempus ad deliberaendum coactabatur, sublatu beneficio abstinenti, quod suis hæreditibus in perpetuum jus prætorium concedit, l. Necessariis 57. ff. de acquir. hæredit. Ant. Gom. variar. lib. 1. cap. 9. num. 22.

Ibi: Cernere est verba cretionis dicere.

Quæ adeo necessariò ab eodem hærede proferri debebant, ut mutus, aut infans, quia fari nequivant, per cretionem inutiliter instituerentur. Pichard. in d. §. Item extraneus, num. 53. Olan. cum aliis sup. n. 1. et si alias mutus recte institueretur, l. 1. §. Mutus, ff. de hered. instit. & gerendo se pro hærede acquereret hæreditatem, l. Mutum 5. ff. de acquir. hæred. Quod de infante prædictum est, intelligi debet de eo qui fari non valeret, enim si verba cretionis proferre posset, non prohibebatur hæres institui sic, et si non intelligeret quod agebatur, modò tutoris authoritas intercederet argumento legis Pupillus 9. ff. de acquir. hæred. l. Servo invito 65. §. Si pupilla, ff. ad Trebell. Olan. num. 51.

Ibi: Cum me Mævius hæredem institueris.

Quæ verba coram testibus pronunciabantur, ut ex Varrone inferius D. Covarr. observat, eoque refert Rævard. d. cap. 8. illud Ciceronis ad Atticum lib. 13. ubi sic scribit: Ex eo cognovi cretionem Cluvii (ò Vestitorum negligenter) liberam testibus presentibus sexaginta duobus. Briffon. sup. verbo Cernere, Petr. Fab. d. cap. 22. Hæreditasque apud Prætorem cernebatur, Glossa in d. l. Cretionum, & sentit Rævard. d. cap. 8. in princ. Vide laudatos supra, num. 1. & 3. Alciat. disputation. lib. 3. cap. 7. Est enim aditio, seu cretio actus, qui inter legis actiones numerantur in l. Actus legium 77. ff. de reg. jur. Rævard. ubi nuper.

Ibi: Cretio autem vulgaris dicitur, aut continua.

Inter quas hoc etiam interest, ut in vulgari non labantur dies iis quibus ignorantia juris non imputatur ad culpam, ut militibus vel minoribus cum cretione institutis unde si errantes in jure sinerent præterire tempus à testatore praefinitum ad cernendum, eis non nocet: quod alter in continua cretione habebatur; nam & eis personis tempus labebatur, ita ut restitutione indigerent ad acquirendam cernendo hæreditatem. Retes sup. d. lib. 5. cap. 3. n. 6. Continuam cretionem simplicem dixit Cicer. ad Attic. lib. 11. ibi: Galonis hæreditatem crevi; puto enim cretionem fuisse simplicem, quoniam ad me nulla missa. Quem ita intelligit Rævard. sup.

Ibi: Hæc sunt Ulpiani verba.

Sed in §. ult. d. tit. 22. de imperfecta cretione ita addit Ulpianus: Si sub imperfectam cretionem hæres institutus sit, id est, non adjectis his verbis: Si non creverit, exheres esto; sed si ita. Si non creveris, tunc Mævius hæres esto, cernendo quidem superior inferiorem excludit, non cernendo autem, sed pro hærede gerendo, in partem admittit substitutum. Sed postea D. Marcus constituit, ut pro hærede gerendo ex ase hæres fiat. Quod si neque creverit,

## 224 Novæ Additiones ad D. Covarruvias.

creverit, neque pro hærede gesserit, ipse excluditur, & substitutus ex alio fit hæres.

Ibi: Quibus mirè conveniunt.

<sup>10</sup> Hujus testimonii Isidori haud pauci ex laudatis supra, num. 1. & 3. meminerunt, ut Brisson, verbo Cernere, Lexic. Calvin. *ibid.* Cujac. d. c. 18. qui cum D. Isidoro cernere, quasi decernere dixit.

<sup>11</sup> Verbum Cerno, et si alias multipliciter accipiatur, prout videre licet apud Calepin, verbo Cernere, & Cornucop. commentar. ling. Latin. col. 646. num. 40. in Jure tamen usurpatum pro solemnis acquisitione hæreditatis, quæ per creationem reliqua dicebatur: sed diversimode ab Interpretibus exponitur, sicut ex dicendis apparebit. Illud observandum est, quod etiæ cretio sublata non fuerit, sed solemnes ritus duxerat, ut ostendimus sup. num. 2. tamen creationum nomen simul cum ritibus abolevit, Donell. lib. 7. cap. 8.

Ibi: Hac ratione veteres.

<sup>12</sup> Similiter Petr. Fab. semestr. lib. 2. cap. 22. testatur, veteres glossas cernere pro adire usurpasse, & ita tradit Calepin, verbo Cernere, & verbo Crevi, prater Jurisperitos, quos dedimus sup. num. 2. etiæ Joseph. Scaliger ad Eccl. Pompei. ibi crevi, impropriè pro adi, positum dicat: quem locum refert Calepin, verbo Crevi, & Vnu. ubi sup. & cernere, ac adire idem significasse constat ex D. Ambrol. lib. 9. epistolar. dum inquit: *Tanquam clavis ergo tabulis cernit hæreditatem, non possidet, auctoritatem non habet letionis.* Quintilian. in declamat. cui titulus est, *Equatio patrimonii*, ibi: *Quæ ratio relinquenda hæreditatis erit? quæ ratio testamentorum?* cum is qui creverit hæreditatem, continuo non sit plus habitaturus, quam ceteri, & dixi sursum cum his, qui non euadem honorem supremis defuncti tabulis babuerunt. Cicer. ad Herennium, ibi: *Ut de eo si dicas, quæ multis hæreditates adierit, prospice tu, quæ plurimas cernis.* Quibus omnibus jungas omnino quæ extant supra, num. 2.

Ibi: Sed apud Varonem lib. 6. de ling. Latin.

Ex hoc Varonis loco non pauci verbum Cernere, pro Conflituere, accipiunt, quasi is qui certit hæreditatem, se hæredem constituit, quod sancit in re idem est, ac adire. Ita tenent Brisson, Rævard, Borcholt, Lexic. Calvin. & alii.

<sup>14</sup> Petr. Fab. semestr. lib. 2. cap. 22. verbum Cernere, interpretatur aliter, allersens creationem dici, quod velut in rem præsentem veniatur, ac coram testibus audeatur, & inspicatur hæritatis.

Ibi: Qui lib. 5. ita inquit.

<sup>15</sup> Varonem hic memorant asseverantes cerno, <sup>a</sup> creo, originem trahere, Petr. Gregor. d. cap. 2. num. 6. Cornucop. sup. col. 1083. num. 20. (ubi verba vitiōse refert, quæ D. Covar. restituit, ) & alii laudati supra, num. 1. & 3.

Ad Num. 2.

Hujusmodi constitutionis meminere Brisson, Lexic. Calvin. & alii supra dati. Creationum quo-

que mentio fit in quadam Antonini lego quæ habetur in Codice Gregoriano, de pair. potest. lib. 13, cuius hæc series: *Si in patestate patris fuisse, cum hereditas Basa tibi obvenit, tamque iussu patris crevisti, iure patriæ potestatis ei eam quafisi.* Verum & in l. Pupillus 9. l. Is qui heres 13. §. Si quis dubitet, ff. de acquir. hered. creationis vestigia reperti aliqui arbitrantur, quod à mente Pauli, & Ulpiani penitus alienum videtur; nam in d. l. Pupillus, verbum discernere, non ad actum adiungenda, seu acquirendæ hæreditatis refertur, sed ad animi deliberationem mentisque capacitatem, quæ in amplectendis quomodolibet hæreditibus desideratur. Similiter & in d. §. Si quis dubitet, verbum decernat, accipi debet de declaratione voluntatis hæredis, quæ vel adeundo, vel repudiando contingit; non de creatione quæ solū ad solemnum acquisitionem hæreditatum speget, ut sepe præmisimus. Qua quidem cuilibet legenti texum utrumque patebunt.

Vers. Ex quibus apud Gratianum.

Hunc errorem animadvertisunt Cujac. obseruat. 17. lib. 7. cap. 41. Pratei. de verb. jur. verb. Decernere, Alciat. lib. 3. disquisit. cap. 7. Pichard. in §. Item extranensis, num. 30. Instit. de hered. qualit. Lexic. Calvin. verb. Cretio. At in recentioribus Decreti voluminibus jam non Curationibus, sed Cretionibus legitur, ut post idem caput ultimum distinctionis 1. adnotatur: & ita Valcarcer in Epitom. Jur. Canonici, in hoc loco Cretionibus transcriptis.

Ibi: Hinc error constat Nonii Marcelli.

Quem tamen sequitur Cornucop. colum. 646. 18 num. 50. ubi cernere, pro cedere usurpari assert, adducto loco, quem D. Covar. memorat in præsenti, & altero Accii, qui inquit: *Regnum tibi perseruit malum, cernam, tradam exercitus.*

### SUMMARIUM.

1. Gratiani, qui Decretum compilavit, patria & professi.
2. Rejeciuntur quadam de eodem Gratiano fabulosè factata.
3. Decretum Gratiani publicè legitur in insignibus orbis Academiis.
4. Decretum Pontificum iussu jam à mendis expurgatum habetur.
5. De auctoritate Decreti.
6. Sanctorum Patrum testimonia Decreto inserita quamam auctoritatem obtineant, cum num. seq.
8. Decretum quare in publicis Academiis legi concedatur, & num. 9.
10. De auctoritate legum Principum sacrorum, quæ in Decreto recensentur.
11. De auctoritate eorum, quæ de proprio Gratianus Decreto adiecit.
12. Quid de Capitulis, quorum inscriptio est, Palea.
13. Decreti locus emendatur.
14. In Regibus Aragonia nullus extitit, qui vocaretur Sacratius, sed Sancius unus tantum nuncupatus est.
15. De Regibus, qui ad invitandum ad egregia facinora

## Varias Resolut. Lib. IV. Cap. XI. 225

facinora propriam sobolem patraturis spoponderunt.

16. Virum Rex Sanctius in cap. De neptis, 31. quæst. 2. promiserit neptem ex filio aut filia, vel ex fratre aut sorore, & n. 17.
18. Quid intersit inter parentes & extraneos promittentes matrimonium alicuius fœmine.
19. An Rex Sanctius jurans promiserit neptem suam nuptiis tradere militi.
20. Facti alieni obligatio cum iuramento cuius effectus sit.
21. Rex simul & parens an valeat metum incutere, ut liberiueant matrimonium, quod ipse promiserit.
22. Qui promissioni nuptiarum de se à parente facte consenit, ad implementum iure cogitur.
23. Sanctii Regis Aragonum landes & obitus.
24. Urbanus II. Pontifex, quo & quanto tempore Pontificatum gesserit.
25. Hormisda quando ad Pontificiam dignitatem evetus.

De emendatione, & intellectu capituli

De neptis, 31. quæst. 2.

### C A P U T XI.

**G**ratianus Clusii oppidi Tusciae ortus est, rejectis aliorum opinionibus, qui Clasfam, vel Ginsam ejusdem regionis urbes patriam ei assignant, ut vide licet in proemio Decreti, versic. In plerisque vetustis, & apud Spondan. in Epit. ad Annal. Baron. tom. 2. anno 1151. num. 5. ubi inſciatur aliquam ex istis duabus civitatis in Tuscia extitisse. Ille Benedictina familiæ adscriptus in cenobio S. Felicis Bononiensi, tum religiose pietatis praestantiâ, tum litterarum affluentiâ diu condecoratus emicuit, ibique egregium opus, quod Decretum nuncupatur, consecutum edidit sub Pontifice Eugenio III. anno 1150. aut sicut aliis placet 1151. De quibus præter Spondan. sup. Glosa in cap. Post appellationem, versic. Forma, 2. quæst. 6. Bellarminus de Scriptoribus Eccles. verbo Gratianus, Baron. Annal. tom. 12. anno 1122. & 1151. Marant. de ordine judiciorum, part. 3. quæst. unica, num. 39. Sebsta. Medic. de leg. & statut. part. 1. quæst. 3. num. 4. Thom. Canan. in proem. Decret. num. 120. Roderic. Acuña, ibidem, num. 39. cum seqq. Alciat. lib. 4. parerg. cap. 23. August. Barbosa cum pluribus in collectan. ad Decret. in proem. num. 2. & 3.

**2** Illud autem quod vulgo jactatur, ac legitur in Histor. Pontifici. tom. 1. lib. 5. cap. 24. nempe Gratianus fratres esse uterinos Petrum Lombardum Parisensem Antistitem, qui Magister Sententiarum vocatur, ac Petrum Comestorem Historiarum Scholasticarum authorem, ut commentitum, ac fabulosum refutat D. Antonin. part. 3. Histor. lib. 18. cap. 6. quem refert, ac sequitur Spondan. sup. anno 1164. num. 15. qui hac probabili ducitur conjectura; etenim prior Nouaria in Longobardia, posterior Treccia in Campania Gallica natus est, quæ loca inter se, & à Clusio Gratiani patria longè distant. Unde verisimile non est, ut eadem mulier in tam distantibus oppidis tres filios sit enixa.

D. de Faria Nova Addit. ad Covar.

Ibi: Aureum Decretorum librum.

Qui Juri Canonico meruit aggregari, in insignibus Orbis Academiis, Cathedrâ specialiter ad id institutâ, publicè legi, in sacris Pontificiis decisionibus non semel allegari, cap. Cùm Apostolica 7. de iis, quæ sunt à Prelat. & alibi, quod obseruat Barbosa suprà, num. 7. Sanch. de matrimon. lib. 9. disputat. 12. num. 3. & 5. à Gregor. XIII. in Bullâ, quam de emendatione ejusdem expediri jussit, non mediocriter honorari, ibi: *In quo magna ratio habita est operis ipsius dignitatis, & publicæ, eorum præsertim, qui in hoc Studio versantur, utilitatis.* Unde merito Volumen aureum dicitur, quo ditissimus sacræ eruditiois, ac doctrinæ thesaurus continetur.

Ibi: Tot tamen scatet is liber mendis.

Sed hodie iussu Gregorii XIII. aliquotumque 4. Pontificum opus istud illibatum, atque expurgatum aspicimus, ut idem in Praefata Bullâ demonstrat, præcipiens ne quid deinceps aliquo modo addatur, detrahatur, aut immutetur, quo querela D. Covarruv. subventum est: quam inculcat itidem tract. de matrimon. p. 2. cap. 6. §. 11. num. 2.

Sed opportunè hic disquirendum occurrit de hujus aurei ac emendati Codicis auctoritate: de quo post alios latè Barbosa suprà, à num. 4. qui rectè, ut de singulis respondeat, omnia in Decreto collecta ad quadruplex caput redigit; licet enim is liber à Summis Pontificibus approbatur, & plausibiliter recipiatur; non tamen qua in eo leguntur, Pontificia auctoritate roborant, ut vim Canonistarum Sanctionum obtineant, sicut de Pandectis inquit Justinianus in l. unic. §. Sed neque, C. de veter. jur. encl. Quo præcognito, in primis asseverandum est de decretis Pontificum, ac Conciliorum, quæ planè vim suam retinent in Decreto reperta, illisque standum erit, nisi alius ex exemplaribus ostendatur, quia Gratianus referenti fides est adhibenda. Ita Barbosa cum aliis n. 7. vers. Ex quibus apparet: quod post Gregorianam emendationem facile admitti potest; nam cuncta suis originalibus conferrentur.

Quod secundum caput de Sanctorum Partium, Hieronymi, Augustini, ac ceterorum testimoniis, Barbosa d. num. 7. Thom. Canan. num. 343. Marant. num. 36. & alii plures apud Barbosam & Sanch. sup. num. 3. sentiunt pro canonice statutis ea habenda fore, quasi Pontificia auctoritate comprobata (eo quod publicè is liber legi permititur, ) nisi aliqua canonica decisio resistat. Verum Sanch. num. 5. cum Ripa, Cajetano, Major, & alii opinantur (quod verius videtur, ) omnia quæ Decreto infra leguntur, nihil amplius authoritatis obtinere, quam quæ à suis Authoribus dimicant. Unde sententia Sanctorum Partium compilata Juris Canonici naturam non fortuntur, sed in suo robore, ac fide persistunt, perpensa sui authoris doctrinâ, ac dignitate.

Nec urgent, quæ pro communi à Barbosa excluduntur; nam etsi nonnunquam in decisionibus Pontifices memorent Decreti capita, ut n. 3. præmisimus, non tamen ut canonica leges ad decisio-

F f